Nobil^mo Cl. doct.^mo q. V. D^o C. Huygens
Joh. Smith. S. d. pl.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Epigramma promiseras, Elegiam mittis, et quod tuae modestiae atque humanitas, apud donatum excusatione uteris. Si omnes qui in meo sunt, aut unquam erunt nexu, tam mecum agant liberaliter, rem certe & expeditius faciam. Pro auctario aut usura promissae sortis, ipsam sortem pluries multiplicas. In una Elegia tua facile est plura numerare epigrammata. Multi illic sunt elegi, quib. sua Epigrammatarius praescriberet lemmata: meministi Xeniorum et Apophoretorum: Hoc Flaviorum primus Imp. ut Saturnalib., ita per Cal: quoque Martias dabat. Et quis genius tibi suggessit, ut ipso Natali meo haec tua mihi traderentur? A Laconismo non abis, quando in tot carminib. rerum longe major numerus est, nihilque otiosum legitur. Tu mihi gravis et importunus? decessus gravis fuit: et nemo mihi venit aut gratior aut magis optatus. Haec tua quae fastidia vocas, vero irritamenta et deorum cibus sunt; sermo meri favi et salis. Rerum ubique peritia, antiqua tanquam domi nata pingis, vivamque bibliothecam tibi pectus omnis eruditionis promum condum, absque aliis adjumentis ubique sufficit. Praecipuas in vasta hac sylva stirpes, velut de tabella, cum suis minutiis ita absens recenses, ut vix quisquam coram posset exactius. Tam multa mihi ignorata admisces, ut armarium omnigenae

antiquitatis viri purpurati, mihi antehac ignotum legere videor, nisi iterum iterumque inspecto nota, oculi me credere cogerent, meam [illegible] designari. Et haec omnia inter tot impedimenta, momentosaque castrorum, Aulae et Reip. negotia desultorie scriptitasti! Quoties dum haec funderes alio mentem et aures divideres. quoties alio properans verba imperfecta relinquere coactus es? Eleganti tamen grandiloquentia aequabiliter detonas. Et quod mihi omnium caput est, quo serio triumpho, ostendis quam me constanter ames, quando inter gravissimas curas, in me ornando sponte tua tam laboras pertinaciter. Scruta

B.P.L. 293 A

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 293: A
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1030

Scripta isthaec mea te spectatore primum coeperunt clarescere. Tibi uni debent Illustrissimum Principem, magnum illud principum sidus, et ab illo omnes Magnatum ordines principesque viros, quos ejus exemplum in partes aut traxit, aut trahet. Neque tu eo contentus ipse insuper et exemplo et incentivo aliis fuisti. Nunc etiam modum excogitasti, quo absens cum superdicto mihi perpetuo ut Patronus aut Praeco adsis honorarius. Legi ista sine rictu, non legi sine pudore, nec sine rubore, nec legi satis magnanime. Tot simul encomia tanti Panegyristae, tantum meae simplicitati fiduciae ingesserunt, ut cui antehac aliquod rei antiquariae studium affectasse ad laudem satis erat, idem nunc illud qualecunque, ne quid tibi detractum eam, mihi arrogare pene audeam: Quod enim a meo ingenio sperare non poteram, id tuo nunc consequar praeconio. ut bella ista haec quoque levia fama constant, et saepe quod per manus traditum creditumque est veri vicem obtinuit. Quicquid tamen de opinione ista sit. Tabellae tuae hic usus erit, ut spectatoribus te exhibeat, quem velox linea norint, non me cujus peritia procul infra laudes istas stabit, qui novo hoc auctoramento studio antiquario obligatum profitear: Ad haec ut testetur me Heurgonio placuisse, quae mihi laus est sane non ultima, quam ut illibatam servem sedulo dabo operam. Vale publico bono & me ama.
Scrib. VII Idus VIIIbris Jul. Aº CIↃIↃCXXXIV Noviomagi.

Pro carmine carmen missurus eram, sed inter impedimenta cogitata non successerunt. Dum nomen hoc intra alia jaceret impeditum, aliud exsolvam quod tibi Venusia Cimbrica nostra debet. Vale iterum.

Ad Praestantiss. V. d. Joach. a Wickefort
de Venere Cimbrica Clariss. Dni Casp. Barlaei
Epigramma J. Smith

Miraris genitam cerebro, Joachime Minervam,
Et gravidum foetus pondere fertis Jovem
Adspice Barlaeum plenum, cerebroq. frontem
Cui sine Vulcano est Cimbrica nata Venus.
Non gabata, sed haec primo jam festa sub ortu,
Innumeras Veneres continet una Venus.
Mortali aeternam sobolem mirare parente
Et magis aeternum prole superstite Patrem.

Propridie Cal. Februar. Jul.

In tabellam Nobilmi et clariss. D. Const. Hugens ad gazam veterem antiquariam J. S. Noviomagi appensum

Fracta perennati aeris que frusta metalli,
Pura vel arguta vermiculata manu;
Ossa lapis vitreae, rudis urceumq. paratu
Arma operata aeris, arma operata focis;
Testarum, laterumq. vetus farrago, supellex
Frivola, grandaevo vilia facta situ:
Qua Batavum nullo vulgus commendat abusu,
Verna ministerium quae negat apta suis;
Si quod erat vel pretium, quod nuperius ordo
Porrecta seris, quod numerosa struis,
Mille quod annorum spatio memoranda vetustas,
Aut quod Romani nominis umbra tulit:
Hoc fuit exiguum, paucis dum visa jacerent
Carcere nostri semisepulta Lares,
At placido magnus postq. vos lumine vidit
Hugenides, pretium majus habere dedit.
Hoc monitore ingens vos dextra reducat; ingens
Qua patria in clara luce reposta sedet.
Quam procul invictam Mundi stupet axis uterq,
Quam sibi fatalem sentit et horret Iber.

Mox alii et illius huic tanti exempla secuti
Principis, Heroes semideumq. genus,
Lumina tot p clara virum spectasse, simulq.
Dignantur manib. vos tetigisse suis.
Quos super Hugenides, nostri decus et aevi,
Constans laetitiae splendor amorq. chori;

Joh: Smith

Et vos Eugeniens, cui Musa somnia, vestras
Prodigus in laudes carmina docta canit.
Nec cantasse semel satis est; inscripta tabella
Mittit, ut absentis suppleat ista vicem.
Hæc nomenclatrix non visa ut visa recenset,
Ota dinumerans, nil latitare sinit.
Nominibus non nota suis ut nota retexit,
Atq(ue) penus cunctos exhibet una sinus.
Integra p(ro) frustis, vastas pro fragmine moles,
Plenaq(ue) pro solo militis signa canit.
Multa super ritu veterum vestigat et usu,
Quæ Carmenta sibi nota fuisse neget.
Hac pereunte rudes moles animatur, et ista
Cui sordescebant hac animatur honos.

Totum ergo Cl(arissi)mo Huygeni,
Totum, muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium
Curator veteris poni
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

Joh. Smith

En tibi Nob. V. primitiarum carmen: in quo quædam mutanda, nisi oculi in recenti nunc foetū mihi caecutirent. Excusatione non utar, fidem libero, solutione festinata magis quam exacta: Apud amicum, quem Deus opt. Max. Patriæ & mihi diu servet incolumem. Vale scrib. 15/25 8bris 1634

N. &c. Cl. T.
observantiss(imus)
Joh. Smith
van Keteren